

CONGREGATIO DE CULTO DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Adnexus decreto diei 11 Februarii 2018, Prot. N. 10/18

**Additiones in Libris liturgicis Ritus Romani
de memoria B. Mariæ Virginis Ecclesiæ Matris**

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

IUNIUS

Feria II post Pentecosten

B. Mariæ Virginis Ecclesiæ Matris

Memoria

IN MISSALE ROMANUM

Feria II post Pentecosten

Beatæ Mariæ Virginis Ecclesiæ Matris

Memoria

Sumitur Missa de Beata Maria Ecclesiæ Matre (p. 1172).

IN ORDINEM LECTIONUM MISSÆ

Feria II post Pentecosten

572 bis Beatæ Mariæ Virginis Ecclesiæ Matris

LECTIO I

Gen 3, 9-15.20: «*Mater cunctorum viventium*»

[Postquam comédit Adam de ligno,] vocávit eum Dóminus Deus et dixit ei...
Versus 15b interpretari debet secundum hebraicam veritatem, ut in Nova Vulgata.

vel:

Act 1,12-14: «*Erant perseverantes in oratione cum Maria, matre Iesu*»

[Postquam assúptus est Iesus in cælum,] revérsi sunt apóstoli in Ierúsalem...

PS. RESP. **Ps 86 (87)**, 1-2. 3 et 5. 6-7
R/. (3): Gloriósa dicta sunt de te, civitas Dei!

ALLELUIA O felix Virgo, quæ Dóminum genuísti;
o beáta Mater Ecclésiæ,
quæ in nobis foves Spíritum
Fílii tui Iesu Christi!

Evang. **Io 19**, 25-34: «*Ecce filius tuus. Ecce mater tua*»
In illo témpore: Stabant iuxta crucem Iesu ... et aqua.

IN LITURGIAM HORARUM

Feria II post Pentecosten

BEATÆ MARIE VIRGINIS, ECCLESIE MATRIS

Memoria

Beatæ Mariæ Virgini tributus est titulus Matris Ecclesiæ, cum ipsa genuisset Christum, Ecclesiæ Caput, et redemptorum facta esset Mater antequam Filius in cruce emisisset spiritum. Beatus Paulus papa VI eandem appellationem sollemniter confirmavit in allocutione ad Patres Concilii Vaticani II, die 21 novembris 1964 habita atque statuit ut «suavissimo hoc nomine iam nunc universus christianus populus magis adhuc honorem Deiparæ» tribueret.

De Communi b. Mariæ Virginis: Liturgia Horarum III, præter sequentia.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

O virgo mater, filia
tui beáta Fílii,
sublímis et humíllima
præ creatúris ómnibus,

Divíni tu consílii
fixus ab ævo términus,
tu decus et fastígium
natúræ nostræ máximum:

Quam sic prompsísti nóbilem,
ut summus eius cónditor
in ipsa per te fieret
arte miránda cónditus.

In útero virgíneo

amor revíxit ígneus,
cuius calóre gérmínant
flores in terra cælicí.

Patri sit et Paráclito
tuoque Nato glória,
cuius vocáris múnere
mater beáta Ecclésiæ.

LECTIO ALTERA

Ex Allocutióne beáti Pauli Sexti, papæ, tértia Sacrosánci Concílii Vaticáni II período exácta

(21 novembris 1964: AAS 56 [1964], 1015-1016)

Maria Mater Ecclesiae

Arctas ratiónes considerántes, quibus María et Ecclésia inter se coniungúntur, ad Beátæ Vírginis glóriam ad nostrúmque solácium, Mariám Sanctíssimam declarámus Matrem Ecclésiæ, hoc est totíus pópuli cristiáni, tam fidélium quam Pastórum, qui eam Matrem amantíssimam appéllant; ac statuimus ut suavíssimo hoc nómine iam nunc univérsus cristiánus pópulus magis adhuc honórem Deíparæ tríbuat eíque supplicatiónes adhíbeat.

De appellatióne ágitur, Venerábiles Fratres, christianórum pietáti haud insuéta; quin immo hoc potíssimum Matris nómine christifidéles et Ecclésia univérsa Mariám invocáre præóptant. Hoc revéra nomen ad germánam Mariæ pietátis ratióne pertinet, cum in dignitáte ipsa, qua María útpote Mater Verbi Dei Incarnáti prædita est, firmiter innitátur.

Sicut enim divína Matérnitas causa est, cur María singuláres prorsus cum Christo ratiónes hábeat eadémque præsens adsit in humánæ salutis ópere a Christo Iesu perácto, ita páriter e divína Maternitáte præsértim eæ prófluunt ratiónes, quæ inter Mariám et Ecclésiám intercédunt; quándóquidem María Mater Christi est, qui statim ac in ipsíus virgináli útero humánam natúram assúpsit, sibi ut Cápiti adiúnxit Corpus suum mýsticum, quod est Ecclésia. María igitur, útpote Mater Christi, Mater étiam fidélium ac Pastórum ómnium, scilicet Ecclésiæ, habénda est.

Hinc causa est, cur nos, licet indígnos, licet débiles, nihilóminus fidéti ánimo filiorúmque amóre flagrántes ad Eam óculos attollámus. Quæ olim Iesum, supérnæ grátiae fontem, nobis donávit, ipsa matérnam suam opem Ecclésiæ non afférre non potest, hoc præsértim témpore, quo Christi Sponsa alacrióre stúdio salutíferum suum munus explére conténdit.

Ad hanc autem fidúciam magis usque aléndam confirmandámque, Nobis suádent arctíssima ea víncula, quæ inter hanc nostram cæléstem Matrem et humánum genus intercédunt. Etsi amplíssimis admirandisque donis a Deo cumuláta est, ut digna Mater Incarnáti Verbi efficerétur, nihilóminus María próxíma nobis est. Sicut nos, et ipsa est Adæ filia, ac proptérea étiam nostra soror ob commúnem humánam natúram; quæ immúnis quidem fuit ab originária labe ob futúra Christi mérita, sed divínitus accéptis donis ipsa suæ ipsíus perféctæ fidei exémplum áddidit, ita ut evangélicum promeréret præcónium: «Beáta, quæ credidisti».

In hac mortáli vita perféctam Christi discípuli formam expréssit, spéculum fuit ómnium virtútum, atque plene in suos réttulit mores beatitúdines illas, quæ a Christo Iesu prædicátæ fuérunt. Quo fit, ut Ecclésia univérsa, dum multifórmem suam vitam

actuosámque suam navitátem éxplicat, a Deípara Vírgine absolutíssimum exéplum sumat, quo perfécte Christum imitári opórteat.

RESPONSORIUM

Cf. Lc 1, 35

R/. Spíritus Sanctus supervénit in Mariám: * Virtus Altíssimi obumbrávit eam.

V/. Iterum eam passiónis Fílii sui sóciam, ut redemptórum Matrem replévit: * Virtus Altíssimi.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Quæ caritátis fúlgidum
es astrum, Virgo, súperis,
spei nobis mortálibus
fons vivax es et prófluus.

Sic vales, celsa Dómina,
in Nati cor piíssimi,
ut qui fidénter póstulat,
per te secúrus ímpetret.

Opem tua benígnitas
non solum fert poscéntibus,
sed et libénter sápius
precántum vota prævenit.

In te misericórdia,
in te magnificéntia;
tu bonitátis cúmulas
quicquid creáta póssident.

Patri sit et Paráclito
tuóque Nato glória,
cuius vocáris múnere
mater beáta Ecclésiæ.

Ad Benedictus, ant. Erant discípuli perseverántes unánimenter in oratióne, cum Mariá matre Iesu.

Oratio

Deus, misericordiárum Pater, cuius Unigénitus, cruci affíxus, beátam Mariám Vírginem, Genetrícem suam, Matrem quoque nostram constitúit, concéde, quæsumus, ut, eius cooperánte caritáte, Ecclésia tua, in dies fecúndior, prolis sanctitáte exsúltet et in grémium suum cunctas áttrahat famílias populórum. Per Dóminum.

Ad Vesperas

HYMNUS

Virgo, mater Ecclésiæ,
ætérna porta glóriæ,
esto nobis refúgium
apud Patrem et Fílium.

Gloriósa Dei mater,
cuius Natus est ac pater,
ora pro nobis ómnibus,
qui memóriam ágimus.

Stella maris, lux refúlgens,
stirps regális, sancta parens,
roga Patrem et Fílium
ut det nobis Paráclitum.

Virgo clemens, virgo pia,
virgo dulcis, o María,
exáudi preces ómnium
ad te pie clamántium.

Funde preces tuo Nato,
crucifíxo, vulneráto,
pro nobis et flagelláto,
spinis puncto, felle potáto.

Alma mater summi regis,
lux et porta celsi cæli,
inclína te misérrimis
geméntibus cum lácrimis.

Patri sit et Paráclito
tuóque Nato glória,
cuius vocáris múnere
mater beáta Ecclésiæ.

Vel: Ave, maris stella.

Ad Magnificat, ant. Dixit Dóminus matri suæ: Múlier, ecce filius tuus. Ad discípulum autem: Ecce mater tua.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

Addi debet inter Elogia pro celebrationibus mobilibus:

10bis. *Feria II post Dominicam Pentecosten*

Memória beátæ Mariæ Virginis, Ecclesiæ Matris, a Christo discipulis suis commendatæ ut perseverantes in oratione Spiritui Sancto coóperent in Evangélium proclamandum.